

IIa
782

*De fragulans glagis verbis quibus
deuter bibebet*

COR

AD

**AUDIENDAS EXERCITATIONES
DISCIPULORUM NOSTRORUM,
INFRA NOMINATORUM,
IN AUDITORIO MAJORI,
DIE CRASTINO,
HORA MATUTINA NONA,
INSTITUENDAS,
SIMULQUE GRATULATIONEM,
NOBIL. AMPL. EXCELL. CONSULTISSIMOQUE.
SENATUI
HUJUS URBIS,
DE REGIMINE PRÆTERITI ANNI FELICITER GESTO,
FACTAM,
VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, FAUTORES ATQUE AMICOS
NOSTROS,
LITERIS PRÆSENTIBUS,
OFFICIOSE INVITAT
M. GEORGIUS ANDREAS Vinthold, Rector.**

**CYGNÆ,
LITERIS FRIDERICIANIS.**



DRoverbiis non solum plurimum salis ac venituratis ad gratiā, sed sepe etiam multum acuminis atque ponderis inflat, ad impellendas hominum voluntates. Docent hoc, præter alia, etiam illa virorum clarissimorum elogia, quibus ipsi hodieque vel antiqua, vel recenti memoria, ab aliis dignoscuntur. Exemplo nunc sit nobis

I. *Julius Aufonijs*, Medicus, Dec. Magni Aufonii, Poëta, pater, qui apud Aquitanos in summa vivebat autoritate. Neque illi ambigebant de eo jactare: *Quemadmodum Aufonius neminem sibi proposuit imitandum: ita Aufonium nemo nunc potest imitari.* (a) Inerat illi viro singulare ingenium in percensendis moribus hominum, neque minus se magna solertia, quam alios ad lacentem accuratam appendebat; non fecus sua, quam aliorum facta ad Lydium lapidem vocabat. Nolebatque discenda eloquentia operam prolixam sumere, satius esse prætendens, si moribus antiquorum hominum, prudenter vitam agitantium, vivamus, quam si tantum lingua eorum & arte sermonem fingamus. (b) Beatum vero prædicabat eum, non qui haberet, quæ cuperet; sed qui non cuperet, quæ non haberet. Quod scitum omnium in ore versabatur. Sic igitur inimitabilis ratio vita in Aufonio Aufonium aliis admirabilem efficit.

II. *Invaluit de Beda*, Anglo-Saxone, crebris rumoribus tale præconium: *Hominem in extremo orbis angulo natum esse, qui universum orbem suo ingenio perstringeret.* (c) Bedam literati omnes supra seculi sui captum esse docet existimant. Sed doctrinam multo admirabiliori decora pii Præconis Dei fecerunt, constantia fidei, sanctitas morum, innocentia vitae. Nam (verba sunt Bernhardini Sacci) vita modestia ac gravitate, studio literarum, & scribendi peritia, denique vivendi diuturnitate, super omnes illius seculi homines insignis fuit Beda: à gravitate enim morum & modestia Venerabilis nuncupationem confecutus est. Idem meditandis scripturis operam impendens, plura volumina non Theologica tantum, sed Philosophica ac Historica inter decumanos barbaria fluctus doctissime conscripsit. (d) Auxit postea viri tanti desiderium studiorum defetus, artiumque sterilitas. Namque, eo mortuo, simul rerum gestarum omnis pene notitia sepulta videbatur, usque ad tempora Gulielmi Malmesburiensis. Pigro succedente pigriore, multo tempore in tota insula Anglorum literarum fervor deferuit. (e) Itaque Bedæ fulgor, sub tantis crepusculis, vicinarum gentium magis præstringebat oculos.

III. *De Chrysippo*, Solensi Philosopho, plerique suo ævo dixerunt: *Si apud Deos usus esset Dialetica, non futuram aliam, quam Chrysippem.* Quo Chrysippus ingeniosissimus idemque acutissimus evaderet orator, penū quoddam invenienda orationis, & cornu Amaltheæ variarum cogitationum, rationum, sententiarumque sibi paravit, exactissimam in dialecticis cognitionem. πλινθός δὲ τοῖς πράγμασι, τὴν λέξιν καταρθωσ, teste Laertio, h.e. veruntamen cum rebus abundaret, dictiorum laude caruit. (f)

IV. *Martinus Chemnitius* in parem ferme cum Martino Lutherō censem venit; quippe de quo illud dictum innotuit: *Non sterisest Martinus prior, (Lutherus) nisi venisset posterior (Chemnitius).* Quemadmodum enim Lutherus verbi divini autoritate semper usus est, eamque omnibus traditionibus Pontificiorum magno animo opposuit: ita Chemnitius eodem robore Achilleo veritatis inimicos ausu quodam heroico impugnavit, vicitque. Quin & concilii Tridentini palladium, in quo cardo rerum sacrarum tum verti videbatur, sic infregit, ut adversarius se vietum conveneret sentiret. Durante enim adhuc illo concilio, Theologiae Jesuitarum brevem quidem illum, sed nervosum libellum objecit. Cumque Andradius Lusitanus cum refutare aggredieretur: tunc Chemnitio oblate erat occasio scribendi illud insigne, suoque fundamento firmiter superstructum, totque doctissimorum virorum per universam Europam calulis

(a) Magiri Eponymol. Crit. p. 33. (b) Jof. Scaliger. l. 2. Aufon, lect. c. ult. (c) Kōnig. Biblioth. vet. & nov. (d) Histor. l. 10. c. 12. (e) Camdenus p. 340. (f) In vita eius l. 7. p. m. 2973.

cūlis approbatum opus, quod Examen concilii Tridentini appellatur. (g) Quo facto, editis præsertim aliis laboribus, Principes eum magnis desideriis suum esse voluerunt, suisq; interesse consiliis, Daniæ Rex Fridericus, Ludovicus Palatinus, Augustus Saxo, Johannes Georgius Brandenburgicus, Johannes Marchio Brandenburgicus, Albertus Borussiae, Julius Brunsicensis, ordines Evangelici Austriae, aliaeque respublie: quo ejus consiliis freti pupillam oculi sui, i.e. fidem illibatam, atque ab erroribus omnibus repurgatam servarent, tuerentur, propugnarent. (b) Non parum eiad tales conatus, insignemque præstantiam profuit Bibliotheca Prutenica, cui aliquandiu, nutu Principis Alberti, præfiebatur, librorum bibliorum perfectio, versionum collatio. Usque adeo literis & sapientiæ præceptis munitus esse oportet eum, qui rerum sacrarum curam cum laude suscipere ac sustentare cum laude cupit.

V. Euclides junior, Megarenis Geometra, apud veteres hanc tulit gloriam, ut nunguam deceptus esse perhiberetur. Ut enim multi ante eum Geometriæ invigilarunt; hic tamen primus, imperante Ptolemaeo II, seu Philadelphia, omnium Græcorum omnia collegit, collecta digessit, quæque negligenter probarentur, accuratissime demonstravit. (i) Alexandriæ autem scholam publicam aperuit, quæ vel ex eo celebratur, quod, ab Euclidis hujus ætate usque ad tempora Saracenica, haut facile aliquis matematum studiosus inventus fuisse dicitur, quin vel patria fuerit Alexandrinus, vel Matheſi certe illic animum applicuerit. Hinc Euclides, propter mensurarum spatia, digitis laxatis, in Prytaneis, depingebatur. Nostroque secundo Euclidea methodus innoscere denso & in lucem prodire coepit, ex quo Eberhardus Wægelius Analysis Aristotelis ex Euclide restitutam, præclara opera, investigavit, & publici juris fecit. Ejus enim ingenio ceteri Euclidei se multum debere ultro fatentur. (k) Quid tamen celeb. Sturmius in admirando opere Euclidis censura dignum putet, historia literaria præsentis ævi curioso lectori jaundidum monstrare potuit.

VI. Jocantes Græcide sene Hermogene ingeminabant: ἐποχίης ἔν
σαντική γέρον, ἐν δὲ πάρεστι κάτι, Hermogenes inter pueros senex, inter senes puer. Vix annum etatis vigesimum quartum ingressus, cum dicendi præcepta ingeniosissime tradidisset, & Marcus Imperator eum docenteum (rum autem agebat hic annum decimum sexum) audivisset: in tam contumacem stuporem incidit, ut eum omnium literarum caperet oblivio. (l) Sic rofa suaviter olens præmature maruit: & quod præcoceſ ſruitus tulerat ingenium, in sterilitatem deplorandam lapsum est.

VII. Si Lyra non tyrasset, totus orbis delirasset, tritum fatis eruditorum ore proverbium. (m) Hærens adhuc Lyra, vel ut alii scribunt, Lira inter Juðæos, Samuel Levita nominatur; poftea conversus ad fidem Christianam, Nicolai nomen, & a patria Lira, Brabantia oppido, Liranus fortitus est. Magnam vero exiftimationem viro Hebraicarum literarum peritia conciliavit, quæ illa tempestate rara avis, & nigro cygno simillima. Unde eum ſæpenuero doctorem venerabilem ſalutari legas. Taceo ejus opera reliqua; vel Commentatione in univerſam Scripturam sacram præ aliis maxime enuit, magnique coepit paſſim aſtimari: ut non abſque fecunditate liras duxiffe in ſpatiosimis rerum sacrarum campis videſtur.

VIII. Ubi Philippus, ibi Witteberga, Vulgarum dictum de Philippo Melanchthonem circumferebatur. Originem huic proverbio transmigratio dedit. Cum enim apud Wittebergenses pestilentia graffaretur, & Melanchthon se ibi non faris turum videret: Jenam duabus vicibus migravit, magno comitatu Mafarum cum sequente. (n) Scilicet communis Præceptor Germaniæ & philomela (ita audiabat paſſim) non poterat non cantionum ſuavifimarum amantes ſecum trahere comites, tantumque

(g) Spizel. Amphite. honor. p. 1. l. (b) Adamius in vits Theol. p. 572. f. (i) Voss. d. Scient. Mathemat. c. 15. n. i. (k) Conf. Grammat. Euclid. Vinholdi. it. Geograph. Euclid. (l) Philofrat. in Sophilis. (m) Oſiander. Epit. Hist. Eccles. cent. 14. l. 2. c. 7. (n) Zeume- rivit. Prof. Theol. Jen. p. 11.

instar in eo tunc erat, ut jam non doctor, non Professor Academiæ; sed ipsa Academia haberetur; ac si ejus humeris, tanquam Atlantis colum, doctrina publica in monte Vitekindi niteretur. Lege sis vitam ejus a Camerario descriptam. Fortassis uno in homine totum collegium apparebit: nisi quod ad postremum se deferens Philippus, anteriorem & posteriorem Melanchthonem monstrosa genitura ex se genuit. (o)

IX. R. Moses Ben Majmon, vulgo Moses Maimonides, Cordubensis, quod callebat linguam Hebraicam, Chaldaicam, Arabicam, Turcicam, Græcam; gnarus & Philosophiaæ, Theologiae, Jurisprudentiae & Medecinae erat: meruit hanc de se prædicationem, ut vulgare fieret de eo: מֹשֶׁה עָמֵד בְּמִשְׁתַּחַת עַל נֵבֶל i.e. A Moses (Propheta) usque ad hunc Moſen, non surrexit, sicus Moſes (Maimonides). (p) Qodque Plinius olim Diodoro Siculo tribuit: primum illum inter suos defuisse nugari: id, judice Casaubono, quadrabit ad Judæum hunc: utpote qui fato quodam & sorte nascendi primus solusque in sua gente intellexit, quid hoc sit, non ineptire. (q) Dignum quoque Judæi judicarunt, quem honoris gratia primis literarum notis רַבְמָן Ra M. Ba M. i.e. Rabbi Moſen Bar. Maymon vocent: Dignum, cui נַשְׁׂרָיוֹן magnæ aquilæ nomen a suis imponatur; Dignum, qui נַר יְשָׁרָאֵל he, lucerna Ifrælis appelletur.

X. Celebre de *Origine* vetustatis judicium extat: ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus. (r) Manifestum eruditio[n]is Origenicæ, pariter & infirmati[t]is testimonium, de quo Pappus inquit: Origenes cum doctissimus vir esset, & in explicandis scripturis sacræ plurima elaboraret, varia Ethnico[r]um Philosophorum dogmata Christianorum & Aptolicon[um] præceptorum simplicitati admiscuit; Allegoriis multiplicibus, quæ curiosis ingenii mirum in modum placebant, Scripturam passim depravavit. Atque id Allegoriarum & novorum sensuum studium ita præcipitem eum egit, ut post multos utilissimos Ecclesiæ præstitos labores, plus deinde nocuerit, quam antea profuerit Ecclesiæ. (s)

XI. Vulgo hoc de *Paulo* lēto fertur: Si Bartolus non esset; esset Paulus. Natus hic in castris Minervæ, oppido Calabriæ, quod nunc Castro nuncipant. Nec degener Minervæ filius, cuius studio sernet ita feliciter conseruavit, ut, editis Consiliis, & Commentario in codicem, sempiternam, sui famam reliquerit, atque, ob brevitatem rationumque decidendi inventionem, tyronibus juris maxime commendandus videatur. (t)

XII. Græci quoties sententiam ferre de *Philono*, Hispalensi, vellent, ajeabant lingua sua ἡ πλατωνικὴ φίλων, ἡ φίλων πλατωνικὴ, i.e. Aut Plato philonizat; aut Philo platonizat. Adeo, summus imitator Platonis Philo extitit. (u) Adeo ob sublimè & excelsum docendi genus, Platonis vel magister, vel discipulus, certe æmulus visus est; verbis copiosus, sententiis locuples, in divinis scripturis explicandis altus atque in sublime volitans. (v)

XIII. Plato, ille Atheniensis Philosophus, hunc de se sermonem diffusinavit: Si Jupiter Grace loqui vellet, Platonis lingua usurus esset. (w) Præmittit rationem Cicero noster: Quis, inquit, uberior in dicendo Platone? Jovem sic ajunt Philosophi, si Græce loquatur, loqui. (x) Mihi certe Platonis dictio & genus orationis Ciceronianum, & Ciceronis Platonicum videatur. Nescires, utrum Plato Ciceronem, an hic Platonem fuerit imitatus: nisi temporum ratio Platonis ætatem Tulliana veruſiore probaret. E discipulis nostris

JOHANNES GEORGIUS WINCKELMANN, Neukirchenf.

AUGUSTUS FRIDERICUS ENGELMANN, Glauchauensis, prior quidem Chemnitii, posterior vero Melanchthonis vitam, juxta artes Vofianas, stilo Latino descripserunt, qvos propterea die craftino audiendos, id que his literis more recepto indicandum putavi. P. P. Cygneæ d. XV. Octobr. MDCCVIII.

(o) c.l. Melanchth. Camer. (p) Drusius in not. ad lib. d. nomine Tetragrammat. p. 58. Dilherr. Elect. I. 1. c. 5. (q) Cunæus d. rep. Hebr. I. I. p. 12. (r) Sculteti Medulla Theol. Patr. Pars I. I. 6. c. 1. (s) Histor. Eccl. p. 457. (t) Wefenbeicus d. judic. jur. rect. inst. p. 141. (u) Pelusiot. I. 3. ep. 81. (v) Euseb. Hist. Eccl. c. 17. (x) Val. Max. lib. 8. c. 7. extern. 3. (y) Cic. d. clar. Orat. c. 21.

*De punctulibus clavigeris et ceteris quebus
deales tributes.*

**AUDIENDAS EXERCITATIONES
DISCIPULORUM NOSTRORUM,
INFR A NOMINATORUM,
IN AUDITORIO MAJORI,
DIE CRASTINO,
HORA MATUTINA NONA,
INSTITHENDAS,
SIMULQVE GRATULATIONEM,
NOBIL. AMPL. EXCELL. CONSULTISSIMOQVE.
SENA TUI
HUJUS URBIS,
DE REGIMINE PRETERITI ANNI FELICITER GESTO,
FACTAM,
VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, FAUTORES ATQVE AMICOS
NOSTROS,
LITERIS PRÆSENTIBUS,
OFFICIOSE INVITAT
M. GEORGIVS ANDREAS Birnhold. Rector.**

CYGNÆ,

LITERIS FRIDERICIANIS.

